Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 503
Quelle:
Copyright:

Baleum video. Manus tamen in *Cod.* diversa est.

X. *fol.* 90. *Tractatus*, ut e calce praeoccupo, *Magistri Stanislai de Vero et Falso*. Incipit: *De vero et falso aliqua generaliter pertractare non erit inutile. Et quidem primum de vero incipiendum est. Ponitur autem solita diuisione quoddam verum entis et quoddam propositionis* &c. Capitibus XIV. constat Praelectio haec Logicotheologica et finit: *Illam autem veritatem studeamus agnoscere, quam semel uidisse est omnia didicisse, cui laus* &c. Adnotavit illam e *Cod.* praesenti *J. Dom. Mansius* ad *Fabricii Bibl. med. Lat.* L. 18. p. 202. Vide in *Indice*, quae de *Stanislao de Znoyma* dixi ad *Codd.* plures. Unde illum Cl. *Ungar* in not. ad *Balbini Bob. doct.* P. II. p. 173. Ordini Praedicatorum adscripserit, nescio. *Quetifus* et *Echardus* eum inter suos non censuere. *Stephanus Dolanens.* suum ei *Antibussum* dicavit, qui legitur T. IV. *Thes. Anecd. Peziani* p. 363. Ad calcem nobis haec nota miniata jacet: *A. d. M°. CCCC°. XII. feria 5ta post festum Marci tempore Exequiarum amici przisnakonis Nicolai de Mnich.*

Codici praetexta est Membrana exhibens Partem *Passionalis* rhythmici Sec. XIV. eleganti manu bohemice, sed singulari orthographia exarati. En specimen:

Uwiechzssi zzwatby iacub zzlowe
Chzinem trogie chzcty hotowe
Yus iemu pizzmo wydawa
Podle tyechto trsi chztty prawa &c.

Major Sanctus Jacobus dicitur
Opere trium virtutum expeditus.
Jus ei Scriptura tradit.
Secundum harum virtutum normam.

Et alia similia Rhythmica.

CLXXXII. VII F. 14.

470 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 188. 4. a diversis manibus sequentia continet: I. *Concordantias Bibliorum* triplici columna charactere minuto et difficili scriptas, cum cetera, quae succedunt, nitide exarata sint.

II. *fol.* 65. *Incipit epistola Enee Siluii de pecolominibus que est de situ thabur et communione sub vtraque specie.* Data ad *Johannem S. Angeli* Cardinalem Diac. initium habet: *Quamuis apud bohemos apostolice sedis legationem habueris* &c. et finem: *Quando deus et fata uolent veniemus ad te. Ex noua ciuitate* (Neustadt Austr. infer) *Kalendas* (praepone *duodecimo*) *septembris Anno domini M° CCCCL primo.* Litterae hae ad Historiam temporis non parum opportunae leguntur in Edit. *Opp. Aeneae Silv. Basil.* 1571. *Lib.* I. *Epist. n.* CXXX. p. 660. expressae ad veteres Sec. XV. Editiones, quarum et σφαλματα retinuere, ut conferenti patet. Ita utrobique mox sub initium